



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 1. Nomen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

NVM. 3. *Mores.*

Svo relicto, Arabum cultum, & vestem induerunt. *Veteres* eorum mores illos ex Suidâ habemus. Accusator conuictus falsi morte multabatur. Non licebat victum præbere furibus, & deceptoribus, qui secus fecisset bonis spoliatus agebatur in exilium: fur in rotâ frangebatur. Vites omnes excindi Rex iussit. Vetitum ne daretur eleemosyna, vt omnes laborarent, nemo deses esset; qui petenti dedisset stipem interficiebatur, bonaque eius diripiebantur. Has leges tulerat Rex Trebellius, quòd accepisset ab Auaris quos vicerat, leges illas non seruatas Auarum Gentem perdidisse. Et hæc de moribus antiquis.

Recentes autem vix à Seruicis differunt. Plerique Turcarum more victitant lacte, & pecorum carne, duramque Ottomano seruiunt seruitutem: nam decimus quisque eorum mittitur ad bellum, vt de pueris *Tributi* taceam.

NVM. 4. *Politia.*

BVLGARI Imperatoribus Orientis fuere terribiles, cum quibus vario Marte sæpe contenderunt. Tandem ab Hungariæ regibus victi sunt; ac demum captâ per Amurathum II. Sophiâ in ditio- nem Turcarum transfere. Sophiæ residet Beglierbegus Rumeliæ, seu Romania.

Huc quoque pertinent Dobraciæ Tartari, dicti CIEBELI, seu CIBEI, & degunt inter ruderâ muri producti ab Imperatoribus Græcis à Danubio, & *Gorosai* prope Selestriam, Tomos vsque. Hi autem aliquando Præcopitæ nominantur, & sub hoc nomine in castris Turcicis militant.

§. 7. *De Bossenâ.*NVM. I. *Nomen.*

NOMEN habere creditur à Bosna Fl. vnde & dicitur à quibusdam Bosnia: Lazius vult sic appellatam à Bessis populis qui postea Bosli, & Vossi.

NVM. 2. *Qualitas.*

REGIO asperior est, immo & licet pascuis abundet hîc animalium caro insipida. Corium & lanam abundè sufficit Venetis & Ragusinis. Habet auri argentique fodinas eximias.

NVM.